

2693. II  
Vol. 5. 183

# Nuptiis

XXXVII

INTEGERRIMI AC PRUDENTISSIMI VIRI,

**D. N. JOHANNIS  
S D U N E C C I I,**

*Generosorum Dominorum ac Baronum in  
Putbusch praefecti fidelissimi,*

Sanctâ matrimonii lege, sibi adjungentis

*Virginem honestissimam pudicissimamq̃*

**A N N A M,**

Amplissimi prudentissimiq̃; Viri, Dn. MARTINI VOL.  
S C H O V I I Senatoris Reip. Gryphisvald.  
relictam filiam:

**G R A T U L A M U R.**



**G R Y P H I S V V A L D I**

*Excudebat Augustinus Ferberus Junior,*

**Anno clc. lcc. IIX.**

ST 878





*P*time Vir, facie mihi pridem  
incognite; verum  
Nomine Virtutis, pietatis &  
integritatis  
Non ignote bonis compluribus:  
inter amicos  
Ecce etiam adjungo mea vota,  
tuisq; secunda

*Qua*que precor tadis. CHRISTI quas gratia praesens  
Prosequitor, fasti mensuram nominis implens,  
Quod tibi Baptismi sacra attulit unda renato,  
Quodq; tuae Sponsae sacra attulit unda renata:  
Gratiam enim ANNA sonat, genuit vox ista IOHANNEM.  
Vestra hac legitimi socialia fadera lecti  
Gratia confirmet: latus Amor explicet alas  
Pacifcus, cedente procul discordia Eriqve  
Vitifero sese felicia palmite tecla,  
Mensaq; se circum aureolis accingat olivis.

M. Andreas Helvigijs P. L.  
ConR. Scholae particularis apud Gryphis,  
honoris ac benevolentiae causa f.

Non sem-







**N**on semper cælum pluit, aut fumantibus imbres  
Sat madidos in agros nubibus usq; ruunt.

Nec riget à glacie semper constricta dehiscens  
Tellus, brumali aut frigore sævit hyems :

Sic neq; langventem nimium torquere doloris  
Morsu animum, & curis cor coquere usq; decet.

Luctibus indulgendum satis est, & manibus antè  
Ritè parentatum. Tu procul ergò dolor

Cede, locum da lætitiæ vultuq; sereno,  
( Scilicet haud nuptis commodus hospes eris )

Tempus adest vidui qvopost fastidia lecti,  
Oprati renovet vincla soluta tori

**S**DUNECUS, IOVA sic disponente secundum  
Sponsus & innuptæ detq; feratq; manum.

Ergo tibi meritò tales gratatur amores  
Mens pia, mens Christo dedita, Sponse, vale.

*MARCUS RADELOFIUS Scho-  
la Gryphis v. Subr.*



**N**on frustra offertur communis forma loquendi :  
Tot mundi sensus esse, quot & capita.

Hic etenim timidus qui & nullâ mente paratus  
Affixus domuiq; audet adesse patris.



Mox alius gentes diversas visere tentat;  
Ventus at adversus quando resurgit, abit.  
Nulla pericla alius fugiens terraq; mariq;  
Ut cumulet nummos, mania linoquit avi.  
Perducunt artes hunc per loca disita longe,  
Ipsi quo surgat gloria laus & honor.  
Mundus alit quendam talem super omnia stultum,  
Ut, propter nummos, se simulet fatuum.  
Hic Monachus caelum linoquit, cantantq; PLACIBO  
Pontifici, quo habeat viscera plena mero.  
Quis potis est sensus hominum cantando referre  
Omnes? cum & proprium quaq; virago habeat.  
Hac etenim est humilis celebri de gente vasall  
Nata, nihil vestes curat habere leves:  
Propter egestatem hac surgit vix ossibus harena  
Purpureas vestes gaudet habere sibi.  
Diligit hac omnes, quos altera spernit aperte,  
Annuat hac, illi claudicat omnis homo.  
Laudibus in caelum hac juvenem sustollit amatrix,  
Suspensio naso suscipit illa bonos.  
Hac juvenis subitò, nullo discrimine facto  
Dum flavet rostrum gestit habere virum.  
Insipiens alia est, vult esse sacra sacerdos  
Perq; suam vitam stare dicata Deo,  
Verùm igitur dictum quod sit, predicta probabunt,  
Sunt hominum sensus tot, quot in orbe homines.  
Hinc i-




Hinc iterum surgit mirum quod cuiq̄ videtur,  
Nec qui percipiat mente valere potest.  
Qui fieri possit, cum tot sint sensa moventum,  
Qui libet ac pulchrum perputet esse suum,  
Et tamen haud raro jungantur corpora bina  
Disparibus plane mentibus, ingenijs?  
Quod tibi si spectes tam Gryphica multa probabunt,  
Ut lux narranti vix mihi sufficeret.  
Sufficiat, Sponsus quod praestitit ac proba Sponsa,  
Quos vidi aduersos ante fuisse sibi.  
Et tamen accedunt icturi fœdera lecti,  
Quod fieri haud possit, nunc nisi conueniant.  
Qui veniant igitur, sine non ratione rogatur,  
Accidat an casu vel Deus ista regat?  
Sed fieri casu hoc neutiquam posse putatur,  
Cum Deus & casum, fortuitumq̄ regat.  
Ergo manet reliquum, quod Christus cuncta gubernans,  
Qui sanctos miris duxit ubiq̄ modis.  
Ille etiam flectat discordia pectora mire  
Ista ut quod, subito, persequerentur, ament.  
Vera quod haec credas, tibi pagina sacra probabit,  
Exemploq̄ potest Paulus adesse tibi.  
Christicolam qui ecclesiam captando necando  
Antea, conuersus, persequeretur, amat.  
Nonne & adhuc poterit, qui tunc, discordia corde  
Ut sibi conueniant flectere, crede potest.



*Nec dubitet quisquam, nunc hos, quos vidimus olim  
Discordes, junctos per pia fata Dei.  
Qui dabit ut possint per vitæ tempora longa  
Vivere concordēs: quod precor ex animo.*

Johannes Meurerus Blancken-  
bergenfis Thyrigeta.

  
**U**T turtur abreptam sibi conjugem  
Sylvis in altis flebilibus modis  
Per tesqua oberrans occidente  
Ex orienteque Sole plorat.  
Hinc inde frondes, queis habitaverat  
Nupta, occupando pharmaca conquirat,  
Levamen argenti doloris,  
Nec tamen est potis invenire.  
Sæpè intuetur pignora dulcia,  
Atque intuenso hæc effigiem videt  
Functæ maritæ, repparantur  
Quo magis atque magis dolores.  
Quercus quæ amore est conscia mutuo,  
Quæ rostra rostris junctaque sæpius  
Vidit, dari hos questus subinde  
Cum lacrumis vigiles inaudit:  
Ah quò fugis carissima, quò fugis?  
Cur me relinquis? cur pia gaudia

Tecum



Tecum mihi raptas ? mori sic  
Absq; tuo poteris marito ?  
O si liceret te comitari  
Gratas ad umbras, & tibi perpetim  
Illic adesse, aut pro te adire,  
O mea lux, Srygiam paludem!  
Solamen ast unum superest mihi:  
Hoc absq; tete in luctibus exigam  
Quod temporis vita hæc habebit,  
Nec sociam thalamus videbit.  
Sic & tua hæc mens firma probaverat,  
Cordis tibi dum dimidium abstulit  
Castam maritam Parca, multis  
Nominibus celebrande S P O N S E.  
Hoc certum erat tempus viduo toro  
Ritu dehinc consumere turturis;  
Curas fovebat mens sequaces,  
Et lacrumis oculi madebant.  
At displicebat consilium D E O,  
Res nostra cujus stat moderamine,  
En hic juberte, Clare S P O N S E,  
Scandere nunc thalamum secundum.  
Hic pronubus monstrat tibi virginem,  
Futura cœpti quæ socia est tori,  
Virtutibus quæ ornata multis,  
Sanguine patritioq; creta.

Rectè




Rectè ergò Clare ò Sponsæ facis lubens  
Dum iussa supremi sequeris DEI,  
Et pristini oblitus doloris  
In thalamum accipis hanc jugalem:  
Hinc qui auctor existit liciti tori,  
Ejusq; se altorem vocat, is sua  
Vos gratia læga beabit,  
Prolificas faciendo tædas:  
Is pacis addet munera candidæ,  
Is pellet Aten, is parili dabit  
Ut ardeat lectus calore,  
Et rata sint pia vota nostra.

*Nicolaus Mollerus Rostoch.*







Æsta quas mæsto mea luxit ædes  
Musa pridem carmine, nunc easdem  
Fausta Pæstano colit & celebrat  
oscine fausto.

Jam satis vobis nivis atq; diræ  
Grandinis misit Pater, & rubente

Dextera vestras jaculatus arces,  
Terruit ædes.

Terruit vos Morta suo furore,  
Tractus urnam Filius ad paternam,  
Ad domum vexit mala multa vestram;  
horror in ore.

Sic satis; paulò immemores malorum,  
Quam benigne gaudia, nunc videris,  
Dij ferant: sic post tenebrosa surgit  
Nubila Phæbus.

Nunc opem sentit domus ac herilem,  
Pristinam sortem; cupiens IANUS  
Dum sibi prodesse, probauq; Sponsam  
Suscipit ANNAM.

Gaudij gustas bone Sponse multum,  
Sponsæ amor dum pectora signat ingens,

B Lustrat



Lustrat; ut stella, auricomusq; Phœbus  
aëra lustrat.

Crede enim illam non tibi de scelesta  
Plebe delectam, ac adeò fidelem,  
Sic lucro adversam, potuisse nasci  
Matre pudoris.

Brachia & vultum, teretesq; suras,  
Integer laudo: fuge jurgia, illam  
Funge; nam ANNA dos preciosa Sponse  
est tua virtus.

Gaudij & tu sponsa venusta multum  
Concipis nunc pectore; Sponsus intrat  
Dum thorum pectusq; suave; sic post  
nubila phæbus.

En tui sis *vocula* jam JOHANNIS,  
Semper ut solam teneat te in ore;  
Ille quod vel pectore gliscit imo  
Tu exprime voce.

Tale, sic virtutibus aucte multis,  
Gaudium, S D U N E G K, capias fidelis,  
Cumq; sponsa utaris eo perennis  
firmus uterq;.

Amplius vestrum malesana rectum  
Nesciat mors, dum placitum est JOVA,

Interim




Iuterim proles nova surgat inde  
& generosa.

Foannes Dunag,  
Anna dos, junge.

Anna Volschorij,  
Fohannis vocula.

αιαρεαυ.

Mævius Volschorius Gryph. P. affinis.



CORPORIS EXIMIÀ QUÆ POLLET IMAGINE SPONSA,  
EXIMIUM SPONSE, DAT DECUS IPSA SUO.  
NON SECUS UT FULVI RUTILANS CINCTURA METALLI  
ORNATUM DIGITO CONCILIARE SOLET,  
ILLE SED INGENIJ PULCHRÀ QUÆ PRADITA DOTE EST,  
PLUS JURAT OBLECTAT, CONDECORATQ; VIRUM.  
SCILICET INCLUSO, VELUT ANNULUS IGNE RUBINI  
NOBILIUS DIGITIS DATQ; FOVETQ; DECUS.  
QUA PROPTER SOLI STUDIUM PIETATIS AMANTI  
CÆLITUS HÆC SACRO NUMINE DANTE VENIT.  
NÀ DEUS, UT PIA FACTA PROBAT, SIC RECTA PATRANTES  
DIGNA SUI MERITIS, PRÆMIA FERRE JUBET.  
DATQ; PIO SOCIAM PULCHRAMQ; PIAMQ; MARITO,  
DELICIAS ANIMI, CORPORIS ATQ; DECUS.  
TALIS ENIM FOVET ASSIDUO SOLAMINE MENTEM,  
INSTABILI UT MANEANT MEMBRA VIGORE VIRI.  
MATERIEMQ; IPSI REMOVET CURA, ATQ; DOLORIS,  
IN PLACIDÀ UT VITAM CONDITIONE TRABAT.

O felix



O felix igitur, felix multumq; beatus  
Tale sua, precium qui pietatis habet.  
Sic tu Dunecci, cui talis, origine, conjux  
Volschiadum, sacro Numine dante, venit;  
Qualis in aurato tibi candida gemma grabato  
Et decus atq; animi gaudia multa paret,  
Tetna felicem pietas per premia reddit,  
Nam pietas nullâ prosperitate caret.  
Ergò tuo mea musa applaudens gaudet honori  
Et scateat, multâ prole, precatur, Hymen.

Philippus Wegenerus Frienwald. Pom,

F I N I S:





Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

[www.digital-center.pl](http://www.digital-center.pl)

[biuro@digital-center.pl](mailto:biuro@digital-center.pl)

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

**Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.**

**Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.**

**All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.**